


(*Prov. Germaniae superioris*).

In tabula refectorii Cambensis scriptum legebatur : « P. Speidel die 20 novembris profectus est, die 11 decembris revertetur »; attamen iam die 29 novembris revertit, non vivus, sed mortuus. Frisingae durante missione inter benedictionem mensae morte subitanea correptus est.

P. Speidel die 15 ianuarii a. 1863 in Wachendorf prope Horb Wuertembergae natus est agricolae filius. Pallidus puer in Rottweil in bonas artes incubuit et in collegio Gulielmo Tuebingae philosophiae et theologiae operam navavit. Iam eo tempore morti vicinus erat. In itinere enim longiore artioribus calceis usus cruris cariem contraxit. Vitam servavit, sed crus ter sectione dolorosa infra genu abscissum et in matris sepulchro

depositum est. Inde erat, quod saepe « uno pede in sepulchro se esse » dicebat. Die 8 martii a. 1889 Sumolocennae (Rottenburg) sacerdotio initiatus compluribus deinde locis Wuerttembergiae in animarum salute procuranda laboravit. Iam diu religionem ingredi in animum induxerat, ut temporis in mundo iacturas et rei familiaris propriae difficultates vitaret spiritumque recollectionis magis conservaret. Acta Sanctorum ab Ott conscripta legendo et narrationibus patris de missionibus Patrum nostrorum in Wuerttembergia inter a. 1850 et 1870 habitis auscultando spiritus iuvenis in Congregationem SS. Redemptoris flectebatur. Sed patris voluntate prius, deinde episcopo vetante impeditus Kal. Iul. a. 1899 demum ostium collegii Garsensis Bavariae pulsavit. Die 8 septembris a. 1900 votis emissis P. Speidel in sinu Congregationis studiorum in iuvenatu reformatorem, in apostolatu optimum operarium, in missionibus viae ac rationis correctorem, exemplorum Iesu Christi Redemptoris nostri imitorem eximium se praebuit.



Infelici ecclesiae persecutione etiam Redemptoristae provinciae Germaniae superioris, quasi Iesuitarum cognati essent, in Austriam, Belgium, Hollandiam, Hispaniam exsulatum ire coacti sunt. Patres 72 profecti sunt viri robusti, 36 anno 1894 redierunt senes debiles. Ne provincia exstingeretur, a. 1884 Monte Arido (Duernnberg) in ducatu Salisburgensi iuvenatus conditus est, qui a. 1899 Garsium in Bavariam transferri potuit. Cum vero P. Gasp. Steingassinger, qui director recens nominatus erat, in odore sanctitatis funere elatus esset, P. Speidel ad explendum eius locum vocatus est. Et si hodie domus iuvenatus Garsii Guntiaeque scholis publicis non sunt impares, immo nonnullis rebus eas superant, id imprimis P. Speidel opera factum est. Lector artis mathematicae peritissimus discipulorum mentes ad summum excitavit, ita ut in scholis publicis examinati testimonia optima referrent. Hanc disciplinam non solum littera; sed etiam vita est persecutus. Apparatus physicos, instituti ductus electricos perfecit, horologium electricum restituit. Director P. Speidel enixus est, ut iuvenes ad solidam pietatem, ad accuratissimam statutorum ac praeceptorum domesticorum observantiam et urbanitatis praxim formaret. Propterea discipuli in Congregatione memoriam eius gratam semper retinent, et etiam qui egressi sunt, in frequenti litterarum commercio cum eo manserunt. Apud plerosque etiam lectores P. Speidel magna auctoritate floruit. Dr Freytag, olim saecularis in iuvenatu professor, nunc archivista principis de Thurn et Taxis, de eo scripsit: « P. Speidel litterarum studia temporibus nostris accommodavit et totum vitae usum iuventuti sibi commissae tra-

didit. Vir fuit magnae humanitatis, insignis conversationis, constantis hilaritatis, quem sacerdotem exempli recti in vinea Domini semper mihi visum esse fateor ».

Anno 1909 a munere directoris solutus P. Speidel « accola fuit in terra Cham », in qua domo excepto uno anno, quo in Schoeneberg erat, usque ad mortem permansit. Ibi summis viribus in opus missionum se coniecit, ita ut per tredecim annos in Germania meridionali 100 missionibus, 25 renovationibus interesset, 200 exercitiorum cursus dirigeret, 90 sermonum series exantlaret. Argumento ingenioso aetatique nostrae convenienti, dispositione psychologica, elocutione dilucida, apta actione audientium omnium animos capiebat. Ruri aequae ac in magnis urbibus, Monachii, Augustae Vindelicorum, Bambergae, Friburgi, imprimis Norimbergae libenter et cum fructu maximo audiebatur. In sua vero quasi provincia versabatur, si apud viros adulescentesve concionabatur. De sermone, quem in missione Erlangensi ad viros habuit, ephemeris quaedam (*Bay. Volkszeitung*) haec rettulit: « Cum socialistae catholicos in ecclesia perturbare vellent, viri curiositate tracti frequentissimi convenerunt. Sermo incipit; P. Speidel, in missionibus homo veteranus, modo suo perspicuo, gravi, placabili loquitur. Primo verba interiecta, quae a vicinis audiri possunt — deinde adversarii exspectatione intenti — denique viri orantes, victima missionis ». In exercitiis P. Speidel regularibus et saecularibus praedicavit, hominibus eruditis et agrestibus, dominis et operariis; imprimis vero sacerdotibus et ludi magistris acceptissimus erat.

P. Speidel, cum inter praecipuos provinciae missionarios numeraretur, mirandum non est, quod inter belli strepitum *Directorium missionum* a P. Benger exaratum novis temporum condicionibus accommodare et praefectus secundi novitatus designatus iuniores Patres ad laborandum in vinea Domini instruere iussus est. Praeterea domi per septem annos Congregationi mariali virorum strenue praefuit, quorum 5000 erant, et periodicum Congregationum (*Der marianische Sodale*) edidit. Sed etiam aliis operibus catholicis assiduam operam praestitit, ut in conficiendo catechismo universali pro Germania fecit et in folio publico Norimbergensi, quod neutram partem sequebatur, in diarium vere catholicum mutando.

Hi labores benedictione coelesti repleti e profundissima vita interna profluebant. P. Speidel confratribus bono semper exemplo erat sanae pietatis, studii indefessi, paupertatis accuratissimae et mortificationis. Abnegatione sui et flagranti animarum studio imbutus usque ad virium consumptionem laboravit.

Exercitiis Cisterciensium reformatorum in Banz finitis nocte curru ferato Frisingam profectus feria secunda mane puerorum confessiones audivit, tum monialem quandam, quam e mundo in conventum duxerat, in-visit, unde in montem aedis cathedralis properavit, ne ad mensam in se-

minarium clericorum sero veniret. Ibi inter benedictionem mensae in verbis illis *Gloria Patri*... paralysi correptus occubuit. In cubiculum vicinum asportatus s. unctionem recepit, quo facto remedia adhibita sunt, quibus vita retineretur, sed frustra. Anima eius in vitam meliorem avolavit. Corpus exanime Cambum in domum nostram traductum die 30 novembris multis confratribus, sacerdotibus, magna fidelium caterva comitantibus in medio sodalium defunctorum conditum est.

Sicut bonus miles P. Speidel usque ad ultimum vitae halitum in statione sua perseveravit, ita confidimus eum bravium et immarcescibilem gloriae coronam adeptum esse. R. i. p.!